

igitur eorum supplicationibus tanquam iustis benigne annuentes, cupientesq; multa scandala de medio uestri ordinis tollere, atque unitate in eo conseruata fratres in pacis dulcedine conseruare, statuimus & decernimus, eisdem supplicationibus fore prouidendum, & de facto tenore presentium eis prouidemus, iuxta formam per reuerendissimos patres dominos, uidelicet Iordanum episcopum Albanensem, de Ursinis, ipsius ordinis protectorem, & Petrum sancti Grifogoni presbyterum cardinalem Cameracensem uulgariter nuncupatos, sanctae Romanae ecclesiae cardinales, & alios ex parte huius sacri concilii super hoc deputatos, sanctae Romanae ecclesiae ordinatam & traditam, atque per religiosum uirum fratrem Iohannem Rothani in sacra pagina professorem, & uicarium ministri generalis antedicti, unacum alijs pluribus magistris & discretis patribus ipsius ordinis ex una parte, & fratres praenominatos conuentus representantes ex alia concordatam, uidelicet quod fratres conuentuum praedictorum de cetero, & quousq; aliud super hoc per sacrum concilium generale fuerit ordinatum, possint & ualeant, quilibet in sua prouincia eligere de sua stricta obseruantia unum fratrem idoneum, quem in scriptis ministro illius prouinciae praesentatum, ipsum dictum minister infra triduum post huiusmodi praesentationem suum uicarium constituere debeat, ad ipsos regendum in solidum loco & uice eius, & eis prouidentum in omnibus quibuscunq; & ipsis modis quibus ipse minister prouincialis etiam prouideri possit, ita qd de ipsorum fratrum regimine in nullo possint se introrittere dicti prouinciales uel custodes, sed ad ipsos uicarius cura & correctio eorum omnia no pertineat, excepto quod ad sua superioritatis cognitionem minister prouincialis ipsos possit, si uoluerit, uisitare in propria persona, & tunc punire de consensu maiorum & discretorum conuentus, in quo fiet haec uisitatio, quicquid punitione digni repererit, quem si constituere renuerit modo praedicto, ex tunc constituto eiusdem praesentati, ad uicarium ministri generalis inferius annotatum, deuoluatur & pertineat absolute. Qui quidem uicarius huiusmodi prouincialis, possint & debeant unacum fratribus discretis sibi subditis forma solita in electionibus ordinis seruata, in sum eligere inter se unum alium fratrem ad hoc sufficientem & idoneum pro correctione uicarij, & tunc stricti huius obseruantiae in praedictis prouincijs meliori regimine, quem per eos in scriptis ministro generali ordinis qui erit pro tempore humiliter praesentatum, ipsum minister super illos suum uicarium constituere infra triduum post illa praesentationem benigne debeat & charitatiue: alioquin ipso triduo tractato, sit & habeatur uicarius ipsius generalis, auctoritate ipsius sacri concilii constitutus. Qui quidem uicarius generalis in sua congregatione uel alijs solus debeat & possit uicarios praedictos (quoties opus erit) punire, & ipsis ac fratribus alijs sibi subditis prouidere in omnibus quibuscunq; casibus, quibus minister generalis eis potuisset prouidere, ne ipsos, ut saepius contingit, quoties generali ministro indigent, longius oporteat euagari. Et pro hac uice primaria constituimus in praesentata laudabili prouidentia ac diligentia solerti multipliciter commendatum, quem uolumus posse deponi, quoties uicarij & alijs fratribus discretis praedictis uidebitur expedire. Possit tamen generalis minister qui est & qui erit pro tempore, ipsos fratres & conuentus in sua persona quoties uoluerit uisitare, praebato uicario non obstante, & punire, si quid in dicta uisitatione puniendum repererit, sicut moris est in ordine, & alijs facere consueuit. Veruntamen non intendimus, quod praedicti uicarij propter mortem, depositionem seu mutationem illorum quorum uice funguntur, possint a suis officijs remoueri, uel in eis impediri, nisi super hoc assensus maiorum et discretorum sibi subditorum prius interuenierit, ad quos semper eos deponere, & alios eligere, antedictis generali prouincialibusq; ministris praesentare modo & forma praemissis (quoties fuerit opportunum) uolumus & decernimus pertinere. Insuper possit & debeat ipse generalis uicarius & sui successores, conuentus sibi pro tempore subditos